

05

A

908



60



60
Oratio
De
**NEOPHOTI-
NIANORUM**

Dubia & incerta,
Ambigua & æquivoca,
Negativa & destructiva,
Impia & blasphema,
immò
Desperationi propinqua
T H E O L O G I A.

*Habita ipso die Corporis CHRISTI,
in Synodo Diœceseos Bornensis,*

à


M. ANDREA WALTERO
Superintendente.

*Adjecta sunt literæ, Viri Reverenda Excellentia Clarissimi,
Dn. Balthasaris Meisneri, S.S. Theologia Doctõris, &
VVitebergæ Professoris celeberrimi, quibus de hac Ora-
tione judicium suum exponit.*

ANNO M. DC. XIX.

LIPSIÆ, Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.

L 199



*Magnificis nobilissimis, strenuis & spectatissimis
Dominis, Parochiarum in Diœcesi Bornensi
Collatoribus.*

*Præstantissimo Domino Quæstori }
Amplissimo Senatui } Bornensi.*

*Reverendis item, Ornatissimisq; Dominis
Pastoribus & Diaconis, Inspectioni suæ
commissis,*

*Dominis Mœcenatibus & Patronis, Amicis &
Fratribus suis in Christo, plurimum honorandis
& dilectis,*



*Gratiam & Pacem, incrementum tum animæ
tum corporis, & largam Dei benedictionem ex animo
precatur*

05 A 908

*M. Andreas VValter
Superintendens Bornensis.*



Hanc meam, Promotores Favitores &
Amici optimi, de Secta execranda, cras-
sis blasphemis, impiis & abominandis
Photinianorum erroribus in Proximam
nostra Synodo habitam Oratiunculam, cur, tam
benivolè licet, amicè & fraternè à plerisque vestrum
rogatus, latitare potius hucusque, mecum, quàm pub-
lici juris facere voluerim, causa hæc est, quod lon-
gè præviderint mentis meæ oculi, fore non paucos,
qui in hoc meum qualecunque studium curiosè invo-
lare, censoriamque sibi arrogare conaturi sint vir-
gulam. Equidem non diffiteor, sileri hæc negligiq;
sine cause dispendio potuisse. Vestra tamen vicit
humanitas, quæ tam instanter urgendo & monen-
do induxistis tandem invitum, ut meum spernen-
dum propositum, vestros pluris æstimandoshorta-
tus, & magis animadvertendam duxerim, quæ ex
hac, si publicaretur, ad vos (ut arbitramini) ma-
naret, utilitatem, quàm occinentium strepitum.
Agite ergo, vireat per Vos, & Vestris munita suf-
fragiis prodeat in lucem. Verùm non alio, nisi sub
Vestro quoque, quibus ab initio scripta & destinata,
nomine. Vos Tutelares tenuissimi hujus laboris
mei invoco Deos, Vestro judicio & Patrocinio uni-

è submitto. Nota enim mihi pietas vestra erga Deum, probitas erga homines, notus Zelus & ardor in cœlestis doctrinæ veritate, notus afflictæ, & in ultimo hoc mundi seculo miserè languescentis Ecclesiæ, & religionis Orthodoxæ amor.

Accedit huc singularis Vester, Collatores Nobilissimi, quem hætenus, cum primis verò in nuperâ locali visitatione satis sum expertus, favor & affectus. Quo enim quæso meo factum merito, quòd tam humaniter me excepistis, tam honorificè aulas Vestras & domos mihi aperuistis, tam amicè mensis vestris me adhibuistis, tam liberaliter fovistis, omniaq; beneficiorum genera cumulatè in me, quantumvis indignum, contulistis. Quare ut Vestræ huic beneficentiæ, nostræ affectionis mutue, meaq; gratitudinis perpetuum extet pignus & indicium, hanc jugis meæ in vos omnes & singulos observantiæ & studij do Tessellam; quam, vilem & exilem, vultu, oro, suscipite benivolo & amico, meq; cum meis, eo quo cœpistis, amore fovete promovete. Ego quoq; bono cum Deo in id annitar sedulus, ne quid unquam Vestro favore, Amicitiaq; nostra indignum commisisse videar. Valete, Favete, & quòd suestis, Ecclesias nostras, divinâ freti ope, factis consiliisq; servate, juvate, curate; Vestra quoq; nostris conjungite vota, ut Deus

T. O;

T. O. M. Orthodoxam Lutheranam religionem
longè lateq; propagare, in sui Nominis gloriam,
cunctorumq; salutem, omnia dicta nostra & facta
clementer dirigere velit & fortunare, per & pro-
pter Unicum Mediatorem & Salvatorem no-
strum JESUM CHRISTUM, Deum cum Patre &
Spiritu sancto, benedictum in secula seculorum
Amen.



A 3

Reve-



*Reverendo & Præstantissimo Viro, Domino
M. ANDRÆ VALTERO, Ecclesiæ Bornensis
Pastori & Superintendenti vigilantissimo, Affini,
Amico, & in CHRO. Fratris plurimum
honorando*

Salutem cum officiis plurimam.

*Reverende & præstantissime Vir, Affinis & in Christo Frater
maximoperè honorande.*

A Binero nostro ante aliquot septimanas rectè ac-
cepi Orationem Vestram, Photinianis oppositam, quam ad Peti-
tionem tuam lubens perlegi, & quantum ego quidem judicare
possum, deprehendi eam scripturis & Analogiæ fidei Orthodoxæ
per Omnia consentaneam. Et omninò ita comparatum cum Theologia
NEOPHOTINIANORUM, ut magis occupata sit in destruendo, quàm æ-
dificando: Dubium gignit, sed non parturit, instar Solis Martii, qui vapores
plurimos excitat, non absumit: de quibus quum ipse differueris eruditè,
nolo in hanc faciem quicquam addere; sed potiùs probo istorum consilium,
qui suasores extitère, ut typis publicis, istam dissertationem exscribi cura-
res. Nos aliàs toti quoq; sumus in refutanda illa hæresi ob causas urgentissi-
mas, & prodibunt, DEO propitio, aliquot scripta, mercatu proximo: qui-
bus si accedat isthæc vestra Oratio, faciet ad declarandum consensum, & ce-
det in majorem adversariorum confusionem. Hæc paucis inter alias occu-
pationes non tam volui, quàm potui respondere. Tu interim in Domino
vale felicissimè, inq; tuis precibus me tibi commendatum habe. Dabant, in
VViteberg. 7. Novemb. Anno 1618.

R T D

amans & colens

Balthasar Meisnerus D.



Emitte DOMINE sapientiam de sede Magnitudinis tuae, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram te omnitempore.

Viri Reverendi, eruditione, pietate & virtute ornatissimi, amici, collegæ, Compares & fratres in CHRISTO honorandi & dilecti. Tradunt præstantissimi quique Philosophi, hanc omnium artium, omnium disciplinarum & scientiarum, esse Naturam, ut certis, ut veris ac genuinis nitantur principiis, sine quibus consistere nequeant, supra quæ nemini ascendere liceat, si liceat, infinitam disquisitionem, & nullam planè fore scientiam, quandoquidem hoc propemodum pro Oraculo habeant: *Infinitorum scientiam nullam esse.*

Quemadmodum vero singulæ artes, singulæ scientiæ ac disciplinæ suis principiis, haud secùs ac annosa quercus radicibus, altissimæ Pyramides fundamentis innituntur, & immotæ perstant: Ita Ars illa artium, scientia illa scientiarum, *THEOLOGIA* nostra, suo fulcro, principio & Fundamento, immoto videlicet *DEI VERBO*, per spiritum sanctum Prophetis & Apostolis revelato, & ab ipsis post vivæ vocis prædicationem in literis relato, insistit; & hoc tantò firmitus, quantò certius, augustius, constantius, & solidius illud, quantoq; majoris momenti res sunt circa quas versatur.

Hoc enim illud est, ex quo velut ex ditissimo Copiæ
cornu

cornu promit & depromit Theologus omnia, quæ ad animarum nostrarum salutem spectare videntur. Hoc illud est, quod agit non de rebus futilibus & inutilibus: non de figmentis anilium fabularum vanis & insanis: sed de cœlestis doctrinæ sinceritate & veritate, quæ sola docet nos angustā & augustam vitæ beatæ Semitā, non quidem humani ingenii acumine perscrutandam, sed sola fide apprehendendam: Et quidem ejusmodi fide, quæ sit non umbratilis aliqua opinio, non labilis quædam dubitatio, non levis ac brevis, non ociosa & odiosa consideratio; sed animæ fidelis pœnitissima & tenacissima persuasio. In quantum igitur anima superat corpus, in quantum æterna præstant temporalibus, cœlestia mundanis, divina humanis, æternū duratura perituris, in tantum *THEOLOGIE* nostræ principium inter reliqua caput exerit. In hoc enim omnia sunt divina, unde ejus sublimitas: omnia eximia, unde dignitas: omnia scitu & auditu digna, unde necessitas; omnia certa, unde infallibilitas: omnia salutaria, unde utilitas patescit.

Etenim si hujus Autorem spectamus, quid quæso, eo firmiter, quid certius, quid solidius ostendi potest? Siquidem is non homo, qui fallere potest, sed *DEUS* ter optimus Maximus, qui seipsum negare, qui mentiri planè nequit, (impossibile enim est mentiri *DEUM* *Ebr. 6. v. 18.*) qui non mutatur, neq; quoad Essentiam *Psal. 102. v. 28. Jacob. 1. v. 17.* neq; quoad decreta & voluntatem, *Mal. 3, v. 6.* Ego inquit *DOMINUS* & non mutor: Qui custodit veritatem, *Psal. 146. v. 7.* cujus veritas manet in æternum, *Psal. 117. v. 2.* Quin imò coelum & terra citiùs peribunt, quàm iota aut apex unus prætereat

O R A T I O.

reat à lege ejus, *Matth. 5. v. 18.* aut unum aliquod ex verbis ejus cadat in terram *1. Sam. 3. v. 19.*

Ea, quæ ab hominibus vulgaribus ac plebejis profiscuntur, in dubium vocari, vel etiam negari possunt, non tamen citra peccatum *Levit. 4. v. 29.*

Sed DEI depositum, DEI Testamentum violare, in alienum trahere sēsū, hoc impium, hoc nefandum, hoc extremâ morte piandum.

Principis vel imperatoris annihilare decreta, facinus atrox; quantò verò atrocius Regis regum ac DOMINI dominantium decreta, in Scripturis revelata violare, eaq; glossis dubiis & ambiguis depravare.

1. Tim. 6. v. 15. Apoc. 17. v. 14. & cap. 19. v. 16.

O ergo malè feriatum studium Pseudodocorum! Ô impium conamen seductorum & impostorum! qui in omnes occasiones intenti sunt, ut immotum illud DEI VERBUM, Sacrosanctam Scripturam, pro omni placito blasphemis suis strophis à literali & analogico sensu detrahant, omnibus viribus torqueant, enervet, dummodò possint imponere improvidis & incircumspectis CHRISTI oviculis.

Caveamus illos dolosos operarios, caveamus illos injustitiæ ministros, non firmus amplius parvuli, fluctuantes in rebus fidei, non instar arundinis hinc inde agitatae, aut in modum naviculæ, gubernatore destitutæ, *quovis vento doctrinae*, per verlutiam & astutiam, quibus nos fanatici isti Spiritus adoriuntur (monente Apostolo *Eph. 4. v. 14.*) propelli patiamur. Innitatur nostro principio, de quo paulò ante meminimus, quod per Spiritum Sanctum Prophetis & Apostolis revelatum, quod ab ipsis, post vivæ vocis prædicationem, literis relatam

B

est,

est. Ita enim legimus *Eph. 2. v. 19.* estis Cives Sanctorum, & domestici DEI, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, summo isto lapide angulari JESU CHRISTO. Et ibidem *cap. 3. v. 5.* Mysterium Christi aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & prophetis in Spiritu. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, ut scribit Petrus *2. cap. 1. v. 21.* Cui adstipulatur David *2. Sam. 23. v. 2. & 3.* inquit: Spiritus DOMINI locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit DEUS Israël, mihi locutus est Fortis Israël. Ex quibus omnibus elucescit; Principium hoc nostrum Theologicum esse *αὐτόματος*, & instar alyli & aræ, ad quam, sicubi periclitari cœpit veritas, enascentibus controversiis, confugere, & fidei nostræ incolumitatem sartam tectâq; retinere valemus. Id quod Lugdunensis ille Ecclesiæ Doctor, Irenæus, agnovit, ita scribens: Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Et Hugo Cardinalis: In Sacra Scriptura quicquid docetur, veritas: quicquid præcipitur, bonitas: quicquid promittitur, felicitas est. Nam DEUS veritas est sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria.

Hæc de principii nostri Theologici, quibus reliqua omnia antecellit, & longè superat, certitudine, veritate
& fin-

Lib. 3. c. 1.
adversus
Hæret.

Lib. 3. de
Anima,

O R A T I O.

& sinceritate, necessitate & præstantia præfari volui, ut falsa hæreticorum principia, cum primis verò NEOPHOTINIANORUM illud, quod ex sola ratione, non ex verbo divinitus revelato hauriunt, intimiùs cognoscere, & veritatem seu potiùs vanitatem & inanitatem eorum agnoscere valeamus.

Memoria enim recenti tenetis, viri Reverendi, quid literis Synodalibus vobis de strophis & corruptelis illorum, hæc præsentis horâ perstringendis promiserim. Huic meæ pollicitationi dum satisfacio, non neminem mihi insusurrare video: ô bone vir, barbam quidem & pallium ostentas: sed quid tentas? Hæc supra tuas vires. Si acutis, si magnis illis ingeniis Academicis ea committeres, sapere mihi videreris. Esto: Largior tibi hoc, quisquis sis: meam tenuitatem liberè & palam profiteor, accisam & præcisam eruditionis supellectilem omnibus inspiciendam expono. Sed amabò vos, viri Reverendi, ignoscite, & causam hanc cognoscite: non arrogantia, non ostentatio me eò impellit, sed & officium meum, & salutis vestræ ratio. Vos, vos inquam fidei meæ commissos, adversus impias & blasphemias illas hæreticorum præstigias præmonere, juxta ac præmunire, DEO me benè iuvante, satago, allaboro. Si enim quisq; Christianus in fide & agnitione veritatis fundatus & confirmatus esse, nec variis & peregrinis dogmatibus, ut navicula fluctibus, circumferri debet, monente Apostolo Eph. 4. v. 14. Ebr. 13. v. 9. quantò magis hi, qui ad id genus divinitus vocati & segregati sunt, in quovis articulo fidei, salutem æternam concernente, undiquaq; certifulti & solidati ut sint, necessum est? Ad illos enim potissi-

tissimum spectat; ad illos præcipuè pertinet quod *1. Joh. 4. v. 1.* dicitur; Charissimi, nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, num ex DEO sint. Ad illos pertinet, quod legimus in *1. ad Theff. 4. v. 20.* Omnia probate, quod bonum est, retinete. Optimum enim est, gratiâ constabiliri *Cor, Ebr. 13. v. 9.* Quibus perspicitur, non in nostro arbitrio positum, sed à Spiritu Sancto & CHRISTO ipso mandatum esse, ut nos, nos cumprimis, mysteriorum divinorum dispensatores, Scripturas scrutemur *Johan. 5. v. 39.* ut secùs docentium hæreticorum doctrinas & opiniones ad lydium illum lapidem, VERBUM, puta, DEI, probemus & examinemus. Quod mandatum, quam vocationis meæ obeundæ necessitatem, dum penitiùs & paulò altiùs mecum ruminò, non infimum hoc nostro seculo, post restitutam Evangelii lucem, offensionis gradum, sed nocentissimam & perniciosissimam, & ex meris humanæ rationis funiculis consutam esse pestem, NEOPHOTINIANORUM ἐτεροδιδασκαλία, invenio. Neminem ergo candidum mihi vitio interpretaturum confido, si illam ipsam, pro donis divinitùs concessis, brevibus exposuero. Si dixerò, quinam sint illi fanatici Spiritus, unde originem traxerint, quàm dubiam & incertam, ambiguum & æquivocam, negativam & destructivam, absurdam, blasphemam, & desperationi propinquam habeant Theologiam. Eò me præsens contendit oratio, ad hunc collimat Scopum, in hoc laborat & desudat unicè, sub sacro sanctæ Trinitatis auspiciis, ut Autores & propugnatores sectæ hujus commonstrem, ut odio illorum vos impleam, impletos videam, sic visos dimittam, dimissos imposterum

posterum amicè diligam & complectar. Quod dum in vestri gratiam facio, vestram quoq; benevolentiam, judicandi æquitatem, attentionis aurem patulam, officiosè & diligenter imploro. Sanctis his conatibus ut benedicat ex alto Misericordia Domini, votis ardentissimis unanimiter mecum exoptate.

Argumenta quidem, viri Reverendi, & gravia & multa in promptu essent; quibus Neophotinianos, blasphemos illos hæreticos, quos Diabolus extremis hisce temporibus, ceu ultimum foetum suum exclusit, Arrii, hominis in DEUM ejusq; filium quondam blasphemi, ipsissimos esse discipulos ac propugnatores, idq; ratione ortus, progressus & exitus, probare possem luculentissimè: sed ne Photinianis, Arrii nomen detestantibus, injuriam facere videar, solummodo, an & quomodo cum iis consentiant, brevibus delineabo.

Scribit quidam ita illorum omnium nomine, Muscorovius; Arrianorum nomen injuriã in nos conferatur, cujus rei rationem evidentissimam cum afferamus, nempe quod a sententia dogmatum Arrii plurimum absumus, cordato cuivis planum esse confidimus, nos Arrianos nullã ratione dici posse. *Et Schmaltzius*: Nos nisi per summam fallaciam & injuriam Arriani appellamur. Ex consensu enim tantum in principalibus cum Arrio de JESU CHRISTO, Arrianismi quis argui potest, nobis verò cum Arrio in principalibus non convenit. Ita quidem clamant, ita palliare conantur suum dogma: Verum quid est, si hoc non est convenire cum Arrianismo? In quibusdam ab Arrianis secessum faciunt: concedo. Verum hoc addo; ex ipso fonte & scaturigine

In appen:
Ref: pag. 3.

Arriana quicquid sunt, quicquid docent & profitentur, propullulare. Impiè docuit Arrius: Filium Dei meram & puram esse creaturam, ante alios omnes à Patre creatam, non consubstantialem, non coæternam, non coomnipotentem. Idem finxit: CHRISTUM non naturâ & verè, sed adoptivè duntaxat Filium DEI nominari: eum tempore illo quo est inter homines versatus, in coelis non fuisse: in carne non adorandum esse: quippe quòd libertate voluntatis suæ in bonum & malum proclivis fuerit. Regnum deniq; ipsius, post mundi occasum, omnimodè cessaturum esse. Quibus omnibus divinam naturam, potentiam & Majestatem CHRISTI in totum enervat, annihilat, imò prorsus negat & tollit. Ecquid idem non faciunt Photiniani? certè profectò Sacrosanctam Trinitatem negantes, Filium verum & Patri *ὁμοούσιον* inficiantur, & Christo non nisi humanam naturam concedentes, in evertenda ejus Deitate strenuè laborant.

Perpendite, viri Reverendi, annè ovum ovo simile? annè hoc est CHRISTUM à divinæ suæ Majestatis folio cum Arrio deturbare? Sed de Arrio, ejusq; blasphemias satis dictū habeo, & pluribus fortè verbis, quàm necesse fuit. Ad Photinum, Sectæ hujus caput ac ducem me converto. Fuit is ex minori Galatia oriundus, Sirmiensis Ecclesiæ Episcopus: floruit circa annum Christi 345. Dogma ejus referunt Nizephorus *libr. 9. cap. 31.* Et Sozomenus *libr. 4. cap. 5.* Tametsi unum DEUM omnipotentem, esse, qui proprio verbo condiderit universa, affirmavit: Tamen quòd filius Dei ante secula genitus sit, nullo modo concedere voluit, sed CHRISTUM
ex Ma.

O R A T I O.

ex Maria virgine nudum hominem natum esse, & per consequens DEO patri pro totius mundi peccatis satisfacere nequaquam potuisse, propalam fassus est. Articulum de Trinitate ne audire quidem, multò minùs subscribere voluit, quamvis Episcopi, à Constantio Imperatore ad Concilium Sirmiense convocati, fraternè cum ad hoc cohortarentur: quamvis ipsi Episcopatum, si à detestanda sua opinione desisteret, atq; ipsorum fidei formulis nomen & manum daret, restituere ultrò sponderent: perseveravit in hac sua pertinacia, provocavit Episcopos ad publicam disputationem. Qui cum indicto die in unum convenissent, iudicesq; & doctrina & autoritate præclari, ex mandato Imperatoris, concilio præsiderent: Basilius Episcopus Ancyrae primas contra Photinum disputandi partes suscepit, ac cum dissendendi certamen, propter multa & varia utriusq; tum interrogata, tum responsa, longiùs procederet, superior discessit. Photinus autem condemnatus exilio, suam opinionem defendere ne sic quidem destitit; sed libros tum latino, tum græco sermone conscriptos edidit, quibus non suam modò, verùm etiam falsas aliorum opiniones, divulgare & probare conatus est: Et quia naturali quadam facundia & persuadendi facultate pollebat, multos in opinionem suam attraxit.

Hujus horrendum dogma & errores in Ecclesiam reduxit Michaël Servetus, Anno Christi 1530. quem postmodum secuti sunt plures non postremæ eruditionis viri, Valentinus Gentilis, Matthæus Gribaldus, Paulus Alciatus, Georgius Blandrata, Franciscus Davidis, & alii. Et licet Servetus anno Christi 1555. Genevæ fuerit

fuerit combustus: licet Valentinus Gentilis anno 1566. è medio sublatus fuerit; nihilò tamen minùs dogmata eorum longè lateq; per Poloniam, Borussiam, Transylvaniam, Lithvaniam, & nonnullas alias vicinas regiones, in quibus publicas Ecclesiarum & Scholarum Cathedras occupant, in præsentem usq; horam sparsim deprehenduntur. De Germania nostra nihil dicam, Quis ignorat istorum libros, cum primis Fausti Socini, Christophori Ostorodi, Hieronymi Muscorovii, Eniedini, Smaltzii, latinè & germanicè Scriptos, affatim divulgari, legi? Quis ignorat, quàm masculè quidam Photini dogma propugnent, defendant? Ipse Faustus Socinus Senensis Italus in respons: ult: ad Andream Volanum pag. 264. expressè scribit, se Pauli Samosatani & Photini Sententiæ de Filii DEI existentia adhærere. Christophorus Ostorodus, patria Goslariensis, homo eruditus & artis disputandi optimè gnarus (virtus quoq; in hoste laudanda) in præfat: germanica pag. 3. cum doctrinam suam ab Arianismi suspitione liberare vellet: quòd doctrina nostra, inquit, de CHRISTO non sit Arriana, ex eo facilè intelligi potest, quòd Arriani, in concilio Sirmiensi, Photinum cum suo dogmate damnârunt, cuius doctrina de Christo planè eadem est, quæ hodie nostra. Atq; hæc de moderni Photinianismi Autoribus, ducibus & propugnatoribus, dixisse sufficiant.

II.

Ad Theologiam eorum accessum faciamus, quæ quàm incerta & dubia, quàm ambigua & æquivoca sit, ex contortis & perplexis Scripturarum explicationibus, ita clarum & perspicuum est, ut radio solis Scriptum videri possit.

Commu.

Communis interpretum est regula, quòd à literali sententia non sit recedendum, nisi textus evidentia, vel fidei analogia, ad figuras nos confugere jubeat. Hoc parùm attendentes, fanatici isti Spiritus, meras elusiones, & diabolicas perversiones, clarissimorum etiam Scripturæ dictorum effutiunt: & in iis, non modò à manifesta litera, sed & à fidei prorsus recedunt analogia: idq; propterea, ut inde tandem mera incertitudo, & perpetua de articulis fidei hæsitatio sequatur. Non dicam, quàm ambiguè & æquivocè omnia dicta de unitate DEI ad solum Patrem, Filio & Spiritu Sancto exclusis, restringant: non dicam, quàm ambiguè suis metaphoris Redimendi vocabulum in aureis illis Scripturæ dictis, meritum & satisfactionem CHRISTI pro peccatis nostris exponentibus, annihilent, illudant. Hoc enim nihil aliud esse volunt, quàm liberare, sibi asserere, quamvis veri precij solutio vera aliqua non interveniat, ut *Exod. 14. v. 29.* dicitur, DEUS populum redemisse ex servitute Ægyptiaca, id est, liberasse, nullo soluto precio. Eâdem igitur significatione verbum istud accipi arbitrantur, cum CHRISTUS nos redemisse perhibetur. Unicum ut brevitati studeam, addere placet. Apertissima Johannis Evangelistæ verba: *In principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat VERBUM, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est:* quomodo torqueant, attendite.

Horum verborum sensus orthodoxus est notissimus, & omnibus constat, Johannem loqui de æterno *θεογονίῳ* DEI Filio; cujus æternam Deitatem eviden-

C

tissime

tissimè probat & confirmat: primò ab Existèntia, videlicet, à principio, quod Johanni idem est, atq; ab æterno. Ita enim inquit: *In principio erat verbum*, subintellige, priusquam tempus ipsum esse inciperet, unà cum rebus, & res unà cum tempore: tunc erat VERBUM, ante illud temporis principium, atq; sic ab æterno. Est enim hæc phrasis descriptio æternitatis; quandoquidem ante principium temporis, rerumq; omnium creationem, nil nisi DEUS æternus fuit. Non itaq; λόγος, quæ talis, creatus in tempore, multò minùs ultimis seculis natus est, sed potiùs ante secula seculorũ, & sic ab æterno, cum Patre & Spiritu Sancto, verus & æternus Deus existit. Deinde ab Existèntia apud DEUM, propterea sic pergit Johannes: *Verbum erat apud Deum*. Ergò non coepit in tempore, quantò minùs novissimis diebus productum, Sunt enim contraria, fuisse apud Deum in principio, & demum circa mundi finem productum esse. Et majoris lucis ergò addit: ὁ λόγος ἦν θεός, *Et Deus erat verbum*, quibus λόγον absolutè DEUM vocat: Undè irrefragabiliter concludimus, λόγον re ipsa verum & æternum Deum esse. Tandem inquit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Atq; hoc quartum est argumentum, quo Johannes Deitatem Filij DEI confirmat, eumq; causam efficientem omnium creaturarum, quod proprium solius Divinitatis *Esa. 41. v. 20. & cap. 44. v. 24. cap. 45. v. 7.* item *Joh. 10. v. 11.* constituit. Hic est Orthodoxus ille sensus, qui ex litera fluit.

Jam Eniedini (quem Photiniani pro maximè accurato & subtili habent) ut & Smaltzij, eidem consentientis,

tientis, impias contorsiones, & blasphemias depravationes audiamus.

In principio, inquit, id est, ab initio Baptismatis & initio Johannis, seu ab initio prædicati Evangelii, *Erat Verbum*, id est, homo Messias ex virgine Maria natus, & verbum dictus, quia per illum prædicatum est Dei verbum. *Et verbum erat apud Deum*, id est, Messias fuit primùm soli Deo notus, hominibus verò incognitus; siquidem à nemine agnoscebatur, ideoq; tantùm erat apud Deum Messias. *Et Deus erat verbum*, id est, Deus factus, seu in tempore constitutus Doctor & Sacerdos summus.

v. 2. *Hoc erat in principio apud Deum*, hoc est, etiamsi filius Mariæ apud homines ignotus & contemptus esset, fuit tamen jam à principio novi testamenti apud Deum Messias, qui patribus promissus, promissiones adimpleturus, & viam Domini in veritate docturus erat.

Omnia per ipsum facta sunt, hoc est, Genus humanum est reconciliatum Patri, multiq; homines per ipsius doctrinam sunt renovati, atq; ita in novas creaturas evaserunt. Hanc Eniedini paraphrasin, quam & Smaltzius defendit, citat eximius Theologus Dn. D. Balthasar Meisnerus in Logologia sua Sacra thes. 30. & 31.

Audistis, viri Reverendi, modum interpretandi Scripturas: audistis stupendam & impiam Johannitici textus contorsionem & perversionem. Oro & obtestor vos, ut diligenter vobiscum ruminetis, num talis verborum sensus in lectione Evangelii Johannis, qualem hîc plusquam fanatici illi Spiritus ex suo cerebello finxerunt & pinxerunt, vobis unquam in mentem venerit. Affir-

mare ausim, non factum esse, neq; unquam fieri potuisse. Cum tamen ab iis nihilominus factum cum gemitu experiamur: agedum videbimus, quænam hujus contorsionis & perversionis fundamenta afferant. Cum primis nonnulla Scripturæ dicta, pro more suo, ex *Joh. 6. 8. 16. capitib. Luc. 1. 1. Joh. 2.* in unum quasi acervum conglomerant, ex quibus ita colligunt: In iis locis vox principii ponitur pro certo & determinatio tempore, Ergò similiter hîc (puta *Joh. 1. v. 1.*) sumi debet; & consequenter, verba hæc ita exponenda veniunt: *In principio* hoc est, ab initio Baptismatis & doctrinæ Johannis, erat homo Messias ex virgine natus. Ergò non ab æterno.

Sophistæ sunt Photiniani.

Sophistas enim ita argumentari scimus, non synceros candidosq; Theologos. Illi enim sciunt, quòd ex meris particularibus nihil sequatur. Fatemur quidem, vocem principii dupliciter capi: primùm Relatè & definite, quando Sermo est de rebus temporariis, & in tempore factis, ut in dictis ab Adversariis allegatis, temporis determinationem expressè tenentibus. Deinde Absolutè & indefinite, citra respectum certi temporis, quo sensu dicimur electi à principio *2. Thess. 2. v. 13.* *elegit nos DEUS ἀπ' ἀρχῆς* à principio, id est, ab æterno, ante constitutionem mundi, ut declaratur *Eph. 1 v. 4.* ante tempora secularia, ut exponitur *2. Tim. 1. v. 9.* Sed si Johannis verba penitiùs introspicimus, fateri cogimur, eum non loqui definite, sed indefinite, non *ἔκλιως*, sed *ἀπλῶς*, *in principio erat verbum.* Nec in textu ullum esse indicium, quod de tempore prædicati Evangelii hoc initium velit intellectum. Nullum, nullum, inquam,
 Quis

Quis enim est, quem fugiat, Johannem verba hæc directè opposuisse Cerinthianis, cum modernis Photinianis statuentibus: Christum non fuisse ante nativitatem ex Maria? Contra illos, inquam asserit, λόγον in ipso principio fuisse: hoc est, cum nec Maria, nec ulla res creata esset, extitisse, Cui sententiæ adstipulatur Augustinus *lib. 6, de Trinit. cap. 2.* inquit: In principio dictum est, ac si diceretur, ante omnia. *Et Epist. 66.* Non sicut in principio Deus fecit coelum & terram, ita in principio fecit verbum, sed in principio erat verbum. Et Basilius: non est possibile, principio quid antiquius cogitare: non enim esset principium, si quid ante se haberet superius.

Hiscæ, viri Reverendi, fundamentis freti, distortam & ambigüam Photinianorum textus hujus expositionem, in totum rejicimus, & vocem ἀρχῆς juxta proprium & nativum suum sensum indefinitè accipimus, sicq; λόγον non noviter cæpisse, sed jam dudum ante alias res omnes extitisse, in eo ipso, quod humani ingenii acumine perscrutari non potest, principio, adeoq; ab æterno VERUM cum Patre DEUM fuisse, piè credimus, confitemur & docemus.

Deindè mirè etiam torquent & pervertunt, ut paulò ante meminimus, verba hæc: *Et λόγος erat apud Deum.* Apud Deum esse, idem significare contendunt, ac soli Deo notum, hominibus verò incognitum & absconditum esse. Sed quis vestrum & hunc ex litera hauriret sensum? nullus opinor. Non enim inquit Johannes: λόγος fuit Deo cognitus, sed indefinitè, & absq; omni limitatione æternam τῆς λόγος ὑπαρξίῳ exprimens ait:

erat in principio apud Deum. Et licet Illia illis rumpant, nullum tamen allegare locum queunt, ubi apud Deum idem sit, ac Deo cognitum. Conantur quidem id evincere ex 1. *Joh. 1. v. 2.* ubi opponi somniant εἶναι πρὸς τὸν πατέρα. & φανερωθῆναι. Verum hic locus ne hilum quidem ipsis patrocinator, sensus enim ejus idem ille est, qui *Joh. 1. v. 1.* Nam ipse Christus appellatur VITA αἰώνιος, adeoq; intelligitur ζωὴ substantialis, quæ apud Patrem ob æternam ὑπαρξίν, non ob solam cognitionem fuisse rectè dicitur. Unde Lutherus vertit: Wir verkündigen euch das Leben / welches war bey dem Vater / vnd ist vns erschienen. Quare τὸ φανερωθῆναι, non opponitur τὸ esse apud Patrem; sed notatur incarnatio λόγος, quæ etiam alibi vocatur Manifestatio, ut 1. *Tim. 3. v. 16.* Non sunt igitur isthæc opposita, sed diversa; ac si dicerem: Filius Dei existit ab æterno apud Patrem, & in tempore apparuit nobis in carne assumpta.

Tertiò, verbis quibus λόγος absolutè dicitur esse Deus, affingunt: hunc dici quidem Deum, sed non esse. Dei enim vocabulum dignitatis potiùs, ac officii esse, & variis rebus tribui solere. Egregiam glossam. Si cuivis ita liberum à sensu verborum proprio recedere, & significationes metaphoricæ substituere: quæ tandem fidei nostræ manebit πληροφορία & certitudo? Revera hoc pacto ipsam Dei Patris Divinitatem in dubium vocare, & Epicureismum aut Anthropomorpheismum stabilire possemus; quippè quòd ad omnia dicta, quibus Pater appellatur Deus, liceret mihi regerere; Deum quidem dici, sed non esse Deum: sic vocari, non ratione naturæ, sed ratione officii; quo ad naturam nobis esse similem, quoad

quoad dignitatem longè nobis disparem, & ideo Deum nuncupari.

Libenter quidem largimur aduersariis nostris, vocabulum Dei creaturis etiam tribui, sed certo respectu, figuratè & limitatè. Dicuntur enim & angeli Filii Dei *Job. 1. v. 6.* & hoc tum creationis, tum adoptionis ratione. Dicuntur & Magistratus Dii *Psal. 82. v. 6.* idq; propter officium, quod vice Dei in his terris administrant. Diaboli quoq; Dii appellantur *2. Cor. 4. v. 4.* & hoc quoad potentiam, quam in filios incredulitatis habent. Paulus *Ephes. 2. v. 2. 1. Cor. 8. v. 5.* inquit: Dii multi in cœlo & in terra sunt: Verùm intelligit non veros Deos, sed fictitios, qui opinione hominum Dii appellantur, veri tamen Dii non sunt. Planissimè igitur & plenissimè hæc evincunt; nihil prorsus ad stabilendam glossam Photinianorum; λόγον quidem dici Deum, sed non esse: quippè quòd vocabulum Dei variis rebus tribuatur; dicta hæc allata facere.

In quarto Johannis argumento, quo Deitatem λόγος ex creatione rerum omnium probare conatur, majorem in modum urgent particulam per, & inferunt; ita ambigam esse hanc propositionem, per Christum omnia facta, ut ad patrem referri possit. Sed facilis est responsio; quòd verba illa non per se ambigua; sed talia sint per accidens, ex hominum præconcepta opinione & petulantia. Non enim an possit, sed an debeat patri assignari, controvertitur. Scopum Johannis si attendimus, mox patescit, de λόγος, non de Patre sermonem fieri. Ejus enim propositum est, λόγον hîc describere, Quî ergò de patre ea possunt intelligi? Sed regerunt inquieti Sophistæ,

phistæ particulam per, causam instrumentalem, non vero efficientem notare, atq; inde sequi existimant: Christum esse Patre ἀπλω̄ς minorem, eumq; à Johanne introduci, non tanquam, efficientem, sed duntaxat instrumentalem causam. Non enim à Christo, sicuti à Patre, omnia esse facta dici possunt. Si hoc militaret; quid ni pari ratione inferre possem, etiam Patrem Filio esse minorem? siquidem & Patri hæc tribuitur particula *Ebr. 2. v. 10. & Rom. 11. v. ult.* Ex eo, per ipsum & in ipso sunt omnia. Si igitur propterea Filius minor Patre, nec æquè causa creationis ac Pater, quia omnia per ipsū esse dicuntur; idem ipsum de Patre colligere licebit. Quod quia absurdum; literam retinemus firmiter, tantisper dum Adversarii contrarium probabunt: Et sic Johannem hîc non de Patre, sed λόγῳ loqui (cujus Divinitatem contra proavos Photinianorum, Ebionem & Cerinthum, probare conatur) irrefragabiliter concludimus, satis, ut arbitror, edocti, homines hosce omnes nervos solummodò eò intendere, ut quævis, quamvis ea luculenta sint, dubia & incerta reddere queant: ut ansam habeant, impudenter ogganniendi & regerendi: ita hoc dictum, ita illud potest explicari: ut non instantiis & exceptionibus doceant, quis sensus sit, sed quis esse possit: ut modò hoc, modò aliud ex præconcepta opinione proferant: ut eò meliùs errores suos pallient, & imperitoribus glaucoma quasi objiciant, innumera dicta coacervent; vocabula quædam arripiant, quæ si in alio Scripturæ textu, pro ratione adjunctorum, peculiarem sensum habeant, mox in dicto, de quo controversatur, similiter usurpari exclament. Et hic Elenchus à

parti.

particulari ipsis est omnium frequentissimus: Vocula hæc in isto dicto sic accipitur: quare similiter in præsentî.

Hoc scilicet est novum illud disputandi artificium, per quod jugulum petunt Ecclesiæ, fundatæ supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum *Matth. 16. v. 18. Eph. 2. v. 20.* quod dum per ejusmodi strophas & elumbes elusiones labefactatur, necesse est simul Ecclesiam corrumpere.

Hoc, hoc illud Satanæ artificium, quod per suos Satellites Neophotinianos exercet, nempe ut omnis Scripturæ autoritas concidat: ut introducatur Securitas: ut cuivis quidvis credendi permittatur libertas. Increpet te Satan DOMINUS. Quis quæso à posse ad esse concederet Consequentiam? Quis nudis innixus æquivocationibus firmum aliquod produceret argumentum? nonnè errorum genetrix est æquivocatio semper? nonnè in disputationibus tanquam spurius à Logicis exponitur, repudiatur, rejicitur? Iis autem, quando innititur (innititur autem, ut audivistis, maximè) Theologia Photiniana, nonnè meritò ut dubiam; nonnè ut incertam; nonnè ut æquivocam, ambiguam, cane pejus & angue aversemur, detestemur, fugiamus?

Atq; hæc de primo dixisse sufficiant; alterum, bono cum Deo, aggredimur, quo probabimus, eorum Theologiam negativam, non affirmativam; destructivam, non ædificativam esse.

Ecquid enim ad aliud illa comparata est, quàm ut religionis nostræ principium annihilat: quàm ut fidei fundamenta prorsus destruat & evertat? Sed quis ignorat, destruere esse longè facilius quàm ædificare? ab uno

D

stulto

stulto plura hercule destrui, quàm vix à decem Sapien-
 tibus exstrui possunt. Et infelix hoc ego judico ingenium,
 quod nec ad firmissimum argumentum, invenire quan-
 dam possit exceptiunculam. Hinc etiam in Philosophia
 notissimum; quòd sæpe argumenta certa & apodictica,
 habeantur pro incertis, dubiis ac topicis; & hoc propter
 nostram ignorantiam. Meliùs igitur vix Adversarii no-
 stri urgeri possunt, quàm si exigamus, ut argumenta sua
 nobis exponant, quibus expositis, conferamus ea cum
 nostris: ita infinitis ferè parasangis ab his distare & discre-
 pare, tum numero tum pondere, perspicuum erit. Sed
 quærat hîc à nobis aliquis, quænam sint illa fundamen-
 ta, quibus adeo innituntur pertinaciter?

Præcipua hæc sunt: I. *Praconcepta Opinio*, quæ mater
 est incredulitatis, ut facilè omnia, quæ leguntur, vel eò
 detorqueantur, vel tanquam absona rejiciantur. II. *Ra-
 tionis Speculatio*, ad quam, ceu normam & formam fidei,
 omnia conformare conantur. Sic enim inquit So-
 cinus de Aut. Script. cap. 2. pag. 53. *nullo modo verum esse
 potest, cui ratio prorsus, communisq; Sensus, repugnat.* Et
 Smaltzius contra D. Frantzius disput. 4. pag. 137. *Nulla
 est Christianæ religionis particula, quæ cum ratione non conve-
 niat; & quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theo-
 logia nullum locum habere potest: Ut parva lux magna, sic ra-
 tio humana Scripturæ non est contraria. Et sanè, qui rationem
 sanam aspernantur in religione, ij religionem suspectam hoc ipso
 apud Cordatos reddunt.* Concedunt ita in judicandis fi-
 dei negociis rationi præcipuas partes; ex quo etiam fa-
 ctum, ut principalem illum Religionis nostræ articu-
 lum, nempe mysterium Sacrosanctæ Trinitatis, & reli-
 quos ferè omnes, ut jam audiemus, negare cœperint.

Hoc enim nulla ratio capit, nulla mens intelligit, quî numero unum in tribus realiter distinctis personis, sine Essentiæ, vel divisione, vel multiplicatione, subsistat. Hâc verò ducta & docta Catechesis Racoviensis ita colligit *cap. 1. pag. 32.*

Essentia est una numero. Quapropter plures numero personæ in ea esse nullo pacto possunt; cum persona nihil aliud sit, nisi Essentia individua, intelligens. Et ita hoc arcanum ratione quoniam attingere haud potuerunt, credere noluerunt. Jacto hoc infelici fundamento, è vestigio in aliis etiam articulis corruptelæ complures secutæ sunt: Unicam enim tantummodò Deitatis personam constituentes, Christum merum hominem, non Deum esse, nec duabus naturis constare, contra articulum de persona Christi, asserunt. Si hoc obtinent, Christum non esse Deum; utiq; pro nobis, vel vice nostri, non satisfacisse sequetur: Quî enim homo finitus, passione & morte temporali, pro infinitis hominibus, qui æternam mortem & damnationem subire debebant, satisfacere posset? Sed missum tantummodò Christum, uti blaterant, ad annunciandam salutis viam constitutum Doctorem, & Sacerdotem summum, non ad expianda peccata, sed ad perficienda legis præcepta. Hoc verò posito, articulus noster de Satisfactione statim corrui; quo sublato, per imputationem alieni meriti non justificabimur, & ita justificatio hominis nihil aliud erit, quàm gratuita, nullo interveniente *λύτρω*, peccatorum condonatio: ita fides, per quam justificamur, illorum sententiâ, non erit apprehensio meriti Christi, sed fiducia generalis, qua simpliciter statuimus,

D 2

Deum

O R A T I O.

Deum nobis benè velle, si præceptis ejus obedimus, si piè vivimus, salutem impertire; si malè, gehennam & æternam mortem: Quoniam verò nemo justè puniri potest, nisi in potestate ejus fuerit id, quod facere debet; hinc concludunt, fidem & impletionem Legis in nostris viribus sitam, adeoq; nos libero arbitrio plenissimè præditos: & ita nullum peccatum originis, nullam corruptionem naturæ docent. Adamum etiam per lapsum non dona prima, sed tantummodò super animantia dominium, rationem imaginis divinæ continens, amisisse, & ita necessitatem moriendi invexisse. Idcirco ut ipse postmodum arbitrio benè usus est, Deiq; præceptis obediens, salutem æternam acquisivit: ita & nos, si id, quod Deus à nobis fieri vult, & quod per Christum Prophetam ejus annunciatum est, fecerimus, pari via salvabimur. Ad hæc Dei præcepta pertinere dicunt, duo Sacramenta, Baptismum & cœnam Domini, non quidem tanquam media, fidem & gratiam conferentia, sed externas duntaxat ceremonias, quarum observatione ab aliis coetibus distinguimur, & nostram Deo obedientiam declaramus.

Hæc est egregia illa Photinianorum modernorum Theologia, fundamentum habens solam Rationem, meraq; humanas disquisitiones, non attendentes, quàm coeca sit hominum ratio in spiritualibus. Cœcitatem dico non illam saltem, quâ homo per seipsum divina mysteria non invenit, nec speculationibus mentis suæ perscrutatur, *Esa. 55. v. 9.* sicut exaltantur cœli à terra: ita exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris. Et David *Psal. 72. v. 22. 23.*

Ego

Ego stultus sum, & ignorans, & jumentum apud te: Verum etiam hanc, quæ ne quidem revelata, & clarissime proposita, intelligere valet, *1. Cor. 2. v. 14.* Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere: *1. Cor. 1. v. 21.* Mundus per Sapienciam non cognovit Deum. Si non cognovit, quomodo de ipso judicat? De ignotis enim nullum iudicium est. Rem prius oportet cognosci, quàm iudicari. Cæco de coloribus iudicanti, aut Surdo de Musica; æquid absurdus? Æquè absurdum, rationem constituere de mysteriis regni cælorum, iudicem.

Accedit & illud, quòd Deus nunquam usquam humanæ Rationi iudicium in rebus fidei concedit: sed ad verbum & scripturam Sacram nos in totum remittit. Ad Legem, inquit, & ad Testimonium. Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux, *Esa. 8. v. 20.* Et *Prov. 3. v. 5.* Fide DOMINO in toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne innitaris. Et *cap. 14. v. 12.* Est via, quæ videtur homini recta; novissima autem ejus deducunt ad mortem.

Etenim neq; Christus, neq; Apostoli fidei mysteria ex Ratione collegerunt; sed ad Scripturas applicaverunt. Scrutamini Scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere *Job. 5. v. 39. Luc. 16. v. 29.* Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. *2. Tim. 3. v. 16.* Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Nihil est, inquit Theophylactus, quod non possit Sacra Scriptura dilui, & si quid sit corrigendum, si insti-

Serm. 38.
ad Frat. in
Erem.
De Trinit.
lib. 3. cap. 11.
Et de Gen.
ad lit. lib. 10.
cap. 16.

tuendus quisquam, hoc est, erudiendus ad justiciam, ex Scripturis illud tibi præstò erit. Et Augustinus inquit: legite Sacram Scripturam, in quâ quid retinendum, quid fugiendum sit plenè invenietis. Extat enim auctoritas divinarum scripturarum, unde mens nostra deviare non debet: nec relicto solidamento divini Eloquii, per Suspicionum suarum abrupta præcipitari, ubi nec sensus corporis regit, nec perspicua ratio veritatis elucet. Et Tertullianus (de resurrect. carnis) Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.

Tandem & hoc probè notandum, quòd humana ratio planè coelesti doctrinæ repugnet & contradicat. Stulticia enim illi est, & non potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicatur, *1. Cor. 2. v. 14.* Unde magnum periculum, res fidei rationibus humanis committere, rectè dixit Chrysostronus.

Ex quibus videtis, Viri Reverendi, quanto cum periculo & æternæ salutis dispendio Photiniani Rationi & humanæ sapientiæ in judicandis fidei negociis, sedem judicariam concedant: qualem nobis Theologiam relinquunt, non modò scilicet dubiam & incertam, ambiguam & æquivocam, negativam & destructivam, sed etiam absurdam, blasphemam, impiam & desperationi propinquam, quod pro tertio probabimus.

Primò ab adorationis cultu. *Deutr. 6. v. 13.* inquit Moses: **DOMINUM DEUM** tuum adorabis, & illi soli servies. In his verbis Mosis religiosa adoratio soli Deo tribuitur. Licèt enim in fontibus particula exclusiva non legatur, exclusivè tamen hæc verba intelligenda & accipienda

pienda sunt, idq; testimonio CHRISTI *Matth. 4. v. 10.*
 & *Luc. 4. v. 8.* ubi inquit: Solum Deum coles. Cum itaque
 Mosès præcipit: *Dominum Deum tuum* adorabis, &
 propterea simul aliis Diis hunc cultum derogat, dicto
 capite *v. 14.* Non ibitis, inquit, post Deos alienos cun-
 ctarum gentium, qui in circuitu sunt. Et *Exod. 23. v. 24.*
 Non adorabis Deos eorum, nec coles eos. Et *cap. 20. v. 3.*
 Non habebis Deos alienos coram me. In his Scripturæ
 dictis adeò DEUS sibi soli tribuit religiosam adoratio-
 nem, ut omnibus aliis extra se eam deroget.

Sed hîc excipiunt nostri Photiniani, & unanimi
 consensu objiciunt: mandatum de solo Deo adoran-
 do, duntaxat in veteri Testamento locum habuisse, ali-
 am verò esse rationem Novi Testamenti. Christo
 enim ex Maria Virgine nato, Deum illud mandatum
 mutasse. Christum itaq; in Novo Testamento adoran-
 dum & invocandum, non quòd sit verus Deus, sed quòd
 Deus præceperit, *Psal. 97. v. 8.* *Ebr. 1. v. 6.* adorent eum
 omnes Angeli: referente Ostorodo in disput. germ.
 Tradelio oppositâ *part. 2. cap. 8. pag. 154.* Fausto Socino
 in responsione ad defensionem Francisci Davidis *cap. 17.*
part. 2. pag. 144. & in responsione ad argumenta Bellar-
 mini *cap. 7.*

Sit ita, quòd Deus præceperit Christum adoran-
 dum: Verùm si Christus non esset æternus cum Patre
 Deus, quod constanter negant Photiniani, præcipere id
 non potuisset, quin sibi ipsi contradixisset, adorationis
 gloriam sibi soli debitam, derogasset, & seipsum menda-
 cii arguisset. In Deo enim non sunt contrariæ, sed una
 perpetua & constans voluntas, neq; mutatur, ut in Exor-
 dio

dio dictum. Sed nonnè sic secundùm Photinianorum
 opinionem in sua natura mutaretur? In veteri Testa-
 mento solus æternus Deus fuit adorandus: In novo au-
 tem Testamento juxta Adversarios, non solus æternus
 Deus est adorandus, sed etiam aliquis, qui non est æter-
 nus Deus. Observate pluralitatem Deorum, unus est
 æternus, alter in novo Testamento natus. Absur-
 dissimum absurdum. Gloriam & Majestatem Adoratio-
 nis, quam in veteri Testamento Solus æternus Deus ha-
 buit, *Esa. 42.* in Novo Testamento non solus habebit:
 quod in Veteri Testamento competebat Soli Creatori;
 id in novo Testamento etiam illi, qui est creatura (de
 persona sermo est, non de natura: ideoq; Calviniani
 contra nos hæc retorquere nequeunt: nam carni Chri-
 sti non tribuitur adoratio absolutè, sed quatenus perso-
 næ æternæ est unita) tribuendum erit. Absurdum.
 Maledictus, inquit Jeremias *cap. 17. v. 5.* qui confidit in
 homine. Atqui juxta Adversarios maledictus non est,
 siquidem & ejusmodi homo, qui æternus Deus non est,
 adorari debet. Hæc omnia cùm sint absurda absur-
 dissima, mandatum de Solo Deo adorando, in Novo
 Testamento fuisse mutatum, constanter pernegamus.
 Non enim, quia Pater præcepit (Adorate eum omnes
 Angeli, *Psal. 97. v. 8. Ebr. 1. v. 6.*) Christum esse adoran-
 dum, mandatum prius correxit & retractavit, sed potius
 hinc sequitur, Christum esse cum Patre unum eundem-
 que æternum DEUM, quem adoramus cum Patre & Spi-
 ritu Sancto unâ adoratione, cum immaculata carne e-
 jus, neq; inadorabilem carnem esse dicimus: nam ado-
 ratur in una verbi hypostasi, quæ & ipsi hypostasis facta
 est,

est. Neq; Creaturam colimus: nam non ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam Divinitati, & ut in unam personam, & unam hypostasin duæ sunt revocatæ naturæ. Timeo quidem carbonem tangere propter ignem ligno conjunctum: adoro Christi simul utrumque, (τὸ ζῆσις τὸ συναμφότερον) propter carni conjunctam, cunitamq; Divinitatem, Damascenus Orthod. fid. lib. 3. cap. 8.

Plura & penè infinita, Viri Reverendi, possem introducere Photinianorum absurda, nisi temporis esset habenda ratio. Quantum, quæso, absurdum, cogitate & perpendite, quòd Smaltzius asserit contra D. Frantzi-um: Deum non certò, sed verisimiliter ac probabiliter præscire omnia? Quantum, quæso, absurdum, Deum causam peccati constituere, quod facit idem Smaltzius ibidem pag. 426. Absurdum non est, inquit, Deo volente quandoq; peccata fieri. Quid? quòd ita Pharaonem induravit, ut eum ad perpetranda scelera compulerit. Proditio Christi nullo modo mutari potuit. Judas à Christo electus, ut tanti sceleris, nempe proditionis, autor esset. Petrus abnegationem Christi evitare non potuit, pag. 428. Nonnè absurdum affirmare, Deum non omnia futura præscire? Confiteri, esse Deum, & negare eum esse præscium futurorum, apertissima insania est, inquit Augustinus lib. 5. de Civit: Dei cap. 29. Nonnè absurdum, Deum in coelo esse: non verò ubiq; præsentem? Quod affirmat Smaltzius contra D. Franzium pag. 3. 4. 339. Nonnè absurdum, Sanctissimos Patriarchas, pios Reges, prophetas & homines reliquos, qui sub veteri Testamento vixerunt omnibus Evangelicis promissioni-

E

bus

bus spoliare? Negat quippe Smaltzius dicto libro contra D. Franzium pag. 441. 443. Patribus promissum talem Messiam, talem Spiritum Sanctum, talem vitam æternam, quibus nos fruimur, & quam firmiter credimus & speramus. Et quæ sunt ejusmodi portenta & monstra infinita alia, quibus scatet Theologia Photiniana. Hæc quoq; de Tertio dicta sufficiant.

Restat quartum, quàm impiam & blasphemam habeant doctrinam. Ecquid enim magis impium & blasphemum cogitari potest, quàm contra Deum movere bella, quàm Dei Essentiam, qualem nobis patefecit, negare? ecquid magis impium & blasphemum, tres in una Dei Essentia personas inficiari? Blasphemia est, haudquaquam concedere velle, Deum Patrem habere filium sibi *ὁμοσιον*: Blasphemia est, negare Christum esse naturâ Deum, vocari tamen, dici, & ut Deum coli & adorari: Blasphemia est, negare *λόγον* ante conditum mundum fuisse, apud Deum, imò ne quidem ante Mariam virginem, sed in ea eum coepisse, & antea nunquam extitisse: Blasphemia est, ex Christo purum & merum facere hominem, & absolutè divinam ejus naturam negare: Blasphemia est, totum Christi officium ad tempora Novi Testamenti restringere, & primos nostros parentes, Patriarchas, pios Reges & Prophetas, ne quidem promissionem ullam de vita æterna habuisse impudentissimè mentiri: Blasphemia est, Christum pro peccatis nostris Justitiæ Dei non satisfecisse, neq; pro nobis mortuum, hoc est, vice & loco nostri, neq; mortem ejus esse precium redemptionis nostræ, sive causam salutis meritoriam, sed occasionem tantum, sive exemplum, quo
invi

invitemur ad Christi obedientiam imitandam : Horrescat coelum, tremiscat terra ! Blasphemia est, Spiritum sanctum personam substantialem, & à Patre & Filio distinctam non esse audacter & impudenter contendere : Blasphemia est, nullum esse peccatum Originis, nullam naturæ corruptionem, adeoq; nos libero arbitrio præditos, ut fides, ut legis impletio in nostris sita sint viribus impiè docere. Sed tempus, ut vela contraham, monet, aliàs adderem, quàm blasphemè & impiè sentiant de Sacramentis, quàm impiè & blasphemè neget Muscorovius in Catechesi Racoviensi pag. 195. Baptismum ad infantes ullo modo pertinere; quippe quòd sit tantummodò ritus exterior, quo homines vel è Judaismo, vel è gentilismo, ad religionem Christianam accedentes, manifestè olim profitebantur, se Christum pro Domino suo agnoscere: Et propterea eos vehementer falli, qui se hoc ritu regenerari putant pag. 196. Non dicam, quòd Ostorodus in germ. institut. Christum Baptismum instituisse negat, pag. 347. Temporis redimendi ergò non dicam, quàm impiè opinantur, in Sacra Cœna Carnem & Sanguinem Christi, nec ore corporis, nec ore fidei, percipi, quia Christi corpus in coelis versetur, neq; ejus proprietatis patiatur, illud in terris adesse & manducari, Cateches. pag. 189. Et falsum esse scribit Ostorodus in institutione, Cœnam servire fidei confirmandæ, quia esus & potus in mentem non agant: neq; usu sacræ cœnæ remissionem peccatorum accipi, neq; fidem confirmari, Catech. pag. 188.

ô terra, quos toleras homines?

Sed ne sim promissæ brevitatis immemor, missa

E 2

hæc

O R A T I O.

hæc facio, & pluribus de plusquam blasphema hac opinione perorare, lubens desisto.

Restat quintum & ultimum, quàm propinqua scilicet, & desperationi vicina ea sit. Certè profectò Sacrosanctæ Trinitatis articulus, nostræ salutis & principium & fundamentum est, ut apparet ex ipsiusmet Christi assertione, *Joh. 17. v. 3.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM CHRISTUM. Hoc negato, nemo vitam æternam consequi poterit, atq; omnibus in universum propter admissa peccata, desperandum & pereundum. Etenim ab articulo de Sacrosancta Trinitate reliqui omnes, ceu ex Catena aurea, dependent, quod ad oculum supra demonstravimus. Hoc sublato, reliqui omnes in totum annihilantur & evertuntur. His everfis, unâ simul omnis perit, ex iis, veluti ex uberrima Scaturigine & fonte promanans consolatio, quâ si mens hominis destituta sit & privata, desperatio ut sequatur, necessum est.

Etenim articulus de Persona Christi, & prora & puppis est nostræ salutis. Fundamentum aliud poni non potest, inquit Apostolus, præter id quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS *1. Cor. 3. v. 11.* Non est in alio quoquam Salus *Act. 4. v. 12.* Si hunc negaverimus, si ab hoc aberraverimus, actum est de Salute nostra. Nemo enim ad Patrem pervenire potest, nisi per filium *Joh. 14. v. 6.* Pater & Filius & Spiritus Sanctus unus est essentiâ Deus. Qui Spiritum Sanctum non habet, arrhâ salutis caret, & JESUM non potest vocare Dominum, multò minus credere, quòd venerit in mundum, peccatores salvos facere; Hoc qui non credit, ut desperet, indubitate

tatè sequitur. Filius est scala coeli illa *Gen. 28. v. 12 Job. 1. v. ult.* per quam ascendimus ad Patrem. Filius est sacri ovilis ostium, *Job. 10. v. 9.* Quì ergo vel Ecclesiam militantem ingredi, vel in triumphantem ascendere poterimus, nisi Christum rectè agnitum, & fide habeamus apprehensum? Ipse vera Lux est, quæ credentes efficit filios Lucis *Job. 12. v. 36.* Quare in tenebris hærent, & quò vadant nesciunt, quicumq; CHRISTUM non agnoscunt.

Cogitate, viri Reverendi, quò tandem perveniant Photiniani cum Theologia sua: nonnè ad Patrem tenebrarum? Revera, nisi resipuerint. Ut paucis multa dicam, considerate mecum, quænam fidei *πληροφoρiα* & consolatio, homini in agone mortis constituto, exhibisce hypothefibus: 1. Deus non tantum est clementissimus, sed & justissimus, seriò irascitur peccatis hominum. 2. Nulla Creatura peccatis hominum satisfacere potest; cum sit virtutis finitæ, peccatum autem debitum infinitum, 3. Deus in sua natura non potest expiare peccata; cum careat Sanguine; sine Sanguinis autem effusione non fit remissio peccatorum *Levit. 17. v. 11. Ebr. 7. v. 27.*

Nunc animo te siste in ultimo illo mortis agone, qui omnibus semel subeundus est; & fac, ut una ex parte tibi tua occurrant malefacta: ex altera Judicium Dei tibi proponatur, ulciscientis scelera, idq; supplicio æterno; ubi, obsecro, conquiesces? quam requiem ex Theologia Photinianorum animæ tuæ invenies? Nullam. Ergò nihil hac vicinius desperatione. Hic fructus, hic effectus illius,

E 3

Quid,

O R A T I O.

Quid, quæso rogati respondebunt injustissimi & blasphemæ Spiritus justissimo Deo in extremo judicio? malum sortientur exitum.

Sed quò ruo, quo rapior? Satis me, & plusquam satis dixisse confido, & abundè fidem fecisse huic pronunciatò, *incertam & dubiam, equivocam & ambiguan, negativam & destructivam, absurdam, impiam, blasphemam & desperationi proximam esse PHOTINIANORUM Theologiam.*

Oro obtestorq; vos, viri Reverendi, humanissimi, doctissimi, amici, compatres & fratres in CHRISTO honorandi & dilecti, hortor & moneo vos per Deum immortalem, spernite, fugite, abominemini pestilentissimam hanc doctrinam, nec à linguis solùm, sed ab auribus etiam vestris secludite. Peccat enim is non modo, qui profitetur & dicit ejusmodi blasphemias, sed etiam qui eis, sicubi licet, non contradicit: Et ut ferrum ignitum sine noxa tangere non est, sic nec assistere amburentibus, perversis, & hæreticis hisce linguis. Pollicentur aureos montes, palliant errores, defendunt Schismata, Scio; Vos mihi credite, aspides sunt illi, & venenum suum inspirant sopiente quodam & fallente morfu. Quod ad ipsos attinet, ut resipiscant moneo, & VOVO.

Dominus noster JESUS CHRISTUS, *ὁμοούσιος* & æternus DEI æterni Filius, qui pro tota sua Ecclesia oravit, dicens: Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos; nos quoq; fervet in nomine suo, quò unum simus Spiritu, fide & charitate, quò unicè & unanimiter firmus solliciti servare

O R A T I O.

vare unanimitem Spiritus, in uniculo pacis. Miferatur miserrimæ, afflictæ & perturbatæ suæ Ecclesiæ, succurrat veritati, reducat errantes in viam, regat ac dirigat Lenitatis & mansuetudinis Spiritu pectora dissidentium.

Idq; faciat propter nominis sui gloriam & honorem, propter veritatem, propter Ecclesiæ suæ tranquillitatem & pacem,

A M E N.

Soli DEO TRINUNO gloria
in sempiterna secula,

A M E N.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.



05 A 908

ULB Halle
003 768 554

3




V017

sch







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres



OTI- UM

voca,
ctiva,
ia,

inqua

HRISTI,
ensis,

ALTERO

cellentia Clarissimi,
eologia Doctoris, &
i, quibus de hac Ora.

CUS LANCKISCH.

